



# Disputatio juridica inauguralis Ad legem Julianam Majestatis

<https://hdl.handle.net/1874/345225>

23.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
LEGEM JULIAM  
MAJESTATIS,

AUSPICE DEO OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguae Sanctae in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

JOAN CAREL VANDER MUELEN, ULTRAJECT.

*Ad diem 8. AUGUST. hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiac  
Typographi, c/o Ioc xiii.

OMNIBUS  
JURISPRUDENTIÆ  
CULTORIBUS  
ET  
FAUTORIBUS.

*Hanc disputationem sacram facio.*

AUCTOR.

# PRÆFATIO.



Um lex sit Reipubl. anima, nec ullum Imperium, nec Civitas sine ead subsistere possit, ideo primi Urbis Romæ conditores hujus rei haud nescii, imperium suum legibus muniverunt, inter quas etiam reperiuntur, quibus cautum erat ne qua machinatio adversus Rempub. vel Principem quocunque modo strueretur, quod crimen lessæ Majestatis, omnium criminum gravissimum atque atrocissimum, appellatum est; quam materiam pro inaugurali disputatione elegi. Sed antequam ad dissertationem propositam perveniam, quinam dictæ legis authores & latores fuerint, paucis premittere decrevi. Romulus igitur, ut multas alias, ita & hanc Majestatis legem primus tulit, cuius ipsa quidem verba perierunt, sententiae tamen ex antiquis, præcipue Dionysio, J. Lipsii operâ collectæ sunt, & sic sonant.

Nocturnas in templo vigilias ne habento. Optimo sanè consilio, primum ne quid per noctem minus caste, minusve pudicè sacrorum specie committeretur; deinde ne qua fieri coitio, ne quid iniiri adversus ipsum publicamve rem occulti consilii, ne quid infidiarum tendi posset. Sub Tullo Hostilio, ut refert. Livius lib. i. cap. 26., de crimine perduellionis judicatum fuit,

cum Horatius ab inclytâ illâ tergeminorum fratrum pugnâ victor rediens, sororem suam sponsi mortem deflentem, occidisset. Rex Tullus ne ipse tam tristis ingratique judicî & secundum judicium supplicii auctor esset, Duumviros de hoc crimine judicare voluit, cum inquit, Duumviri perduellionem judicent, si à duumviris provocarit, provocatione certato, se vincent caput obnubito, arbori infelici suspendito, verberato intra pomærium vel extra pomærium. Sed hoc factum Horatii parricidium potius, quam perduellio esse videtur, & lege parricidii, quam Numa Pompilius fecerat, judicatum esse Hostilii regis jussu, Festus Pompejus docet. Cur igitur perduellionem Livius nominat? ait enim Rex concilio populi advocato, Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent secundum legem facio: causam hanc fortasse veram licet opinari, vel quia Numa vir sanctissimus, parricidium omne voluit esse perduellionem, vel quia si non omne parricidium, saltem illud quod in cognatos affinesque committeretur. vid. Paul. Manut. de legib. Rom.

Tarquinius superbus deinde priorum Regum leges aut abrogavit aut contempnit, ad vim omnia referens: eo vero pulso leges revocatæ sunt à L. Junio Bruto consule, qui ne filiis quidem, hujus criminis reis, pepercit. Sed eos, quia adversus patriam conjuraverant & de eâ regibus tradendâ, consilia agitaverant, ulti-

*ultimo suppicio affecit.* Liv. lib. 2. Flor. lib. 1. cap. 9. *leges duodecim tab.* de eo quoque criminis mentionem fecisse liquet ex l. 3. ff. ad leg. Jul. Majest.

Qui hostem concitaverit, quive civem hosti tradiderit, capite punitor.

*Porcius Latro apud Salust. in sua declamatione in Catilinam etiam meminit, cum inquit, duodecim tabulis cautum esse cognoscimus.*

Ne quis in Urbe cœtus nocturnos agitaret. Ex legibus autem post duodecim tabulas, quibus defensa Majestas sit, vetustissima Gabinia fuit. de qua idem Latro: *deinde lege Gabinia, inquit, promulgatum, qui coitiones illas clandestinas in Urbe conflavisset, more majorum capitali supplicio multaretur. de te itaque Catilina seiscitor, tunc cœtus istos commilitonum, contra præcepta duodecim tabularum, contra leges nostras, contra vero Senatus ac plebis auctoritatem noctu cogenitos esse putaviisti. Post illam legem Gabiniam quatuor leges de Majestate latæ sunt; Apuleja, Varia, Cornelia, Julia. Legem Apulejam Lucius, Apulejus Saturninus tribunus plebis tulit. hac lege C. Norbannus postulatus est. Cic. lib. 2. 25. de Orat. legem Variam Q. Varius tulit. de qua sic Valerius Maxim. lib. 8. cap. 6. n. 4. Q. autem Varius, propter obscurum jus civitatis Hybrida cognominatus, tribunus plebis, legem adversus intercessionem*

A 3 col-

collegarum perrogavit , quā jubebat quāri quorum  
dolo malo socii ad arma ire coacti essent , magna cum  
clade Reipublicæ. hic Varius postea sūd lege conde-  
mnatus est. idem eod. cap. Sequitur lex Cornelia,  
quā tulit L. Cornelius Sylla Felix dictator , quā  
populus Rom. usque ad Cæsarem est usus. Cicer. in  
Orat. in Pisonem quoque meminit , loquens de Gabi-  
nio Syriæ proconsule : eduxit , inquit , exercitum  
è Syria , qui licuit extra Provinciam ? tribuit se  
mercenarium comitem regi Alexandrino. Quid  
hoc turpius ? in Ægyptum venit , signa contulit  
cum Alexandrinis. & Paulo post : hic si mentis  
esset suæ , nisi pœnas Patriæ Diisque immortalibus  
eas , quæ gravissimæ sunt , furore atque insaniâ  
penderet , ausus esset ( mitto exire de Provinciâ )  
educere exercitum , bellum suâ sponte gerere , in  
regnum injussu populi aut Senatus accedere ; quæ  
cum leges plurimæ veteres , tum Cornelia Majestatis  
planissime vetant.

Excipit legem Corneliam lex Julia , quæ lata  
est à Cajo Julio Cæsare dictatore , cuius mentio est  
apud Ciceronem. Nam cum Antonius consul post mor-  
tem Cæsaris legem promulgasset ut de vi ac majestate  
damnatis provocatio ad populum non esset , dixit Ci-  
cero legibus Cæsaris abrogari , qui tulerat ut de vi  
& Majestate damnatis aqua & igni interdiceretur.  
Car. Sigon. de Judic. lib. 2. cap. 29. Alterius deni-  
que

que Juliæ author fuit C. Julius Cæsar Augustus.  
Sed quia principes plerumque paulo acerbius ob levissi-  
mas causas (crimen enim lœsæ majestatis erat duplex;  
crimen lœsæ majestatis in specie, quod admittebatur  
contra principis dignitatem & existimationem, &  
perduellio, quod directo contra principem hostili animo  
admittebatur) de sua majestate jus dixerunt, semper  
invidiosum fuit hoc judicium, adeo ut ipsos aliquando  
monarchs ejus puduerit: ut Tacit. in Ann. lib. 2.  
c. 50. inquit, adolescebat interea lex majestatis. &  
Apulejam Variliam sororis Augusti neptem, quia  
probrosis sermonibus Divum Augustum, ac Tibe-  
rium, & matrem ejus illusisset, Cæsarique con-  
nexa adulterio teneretur, majestatis delator arcesser-  
bat. de adulterio satis caveri lege Julia visum: ma-  
jestatis crimen distingui Cæsar postulavit; da-  
minarie si qua de Augusto in religiose dixisset: in  
se facta nolle ad cognitionem vocari. Crudelissimus  
etiam Nero hujus generis delationes audire sapienter  
erubuit. Aliquando eum docuerat Seneca; dignam  
magno principe esse clementiam, si manifeste lœsus  
animum in potestate habeat, & pœnam, si tuto possit,  
donet: si minus, temperet, longèque sit in suis, quam  
in alienis exorabilior injuriis, magni animi esse, in-  
jurias in summa potentia pati, nec quicquam glorio-  
sius esse, principe impunè lesso. idem Seneca in lib. 1.  
cap. 9. de clementiâ multis verbis prædicat hujus:

D12  
ole-

clementiæ exemplum in Augusto : cui cum in Gallia  
moraretur , delatum est L. Cinnam insidias ipsi strue-  
re & interficere velle , non ei tantum vitam concessit ,  
verum etiam consulatum detulit heredemque instituit .  
Laudatur & Trajanus qui hujus judicii metum sus-  
tulit , contentus suâ magnitudine . Adrianus quo-  
que dicitur nunquam Judicium majestatis criminis  
admisisse . Arcadius vero & Honorius Imperatores  
longe graviorem pœnam , quam unquam antea , in istius  
delicti reos statuerunt . Mirum autem est quâ se-  
veritate infantes liberos puniant , filias quidem pa-  
tiuntur Falcidiam ex bonis maternis accipere , fi-  
lios vero paterno suppicio dignos judicant , quod  
in iis paterni criminis vestigia magis metuantur .  
sic tamen eos vivere patiuntur , ut sit mors so-  
latium ; vita supplicium . sed cum mibi tantum ani-  
mus fuit hic inquirere quinam illam legem tule-  
rint , additis solummodo quibusdam , quæ materiæ  
congrua videbantur , reliqua , Annuente D E O  
T. O. M. in propositâ disputatione explicare co-  
nabor .

DIS-

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

A D

LEGEM JULIAM  
MAJESTATIS.

THESES I.



Ajesta à magnitudine dicta nihil aliud est , quam reverenda quædam amplitudo , auctoritas , decus , imperium , potestas ; salus , dignitas & securitas personæ eminentioris ac sanctioris . Majestatem veteres Deam crediderunt , Honore patre , Reverentia matre , legitimo toro junctis progenitam . Hinc eleganter canit Ovidus sub initio fere *libr. 5. Fastor.* antea , inquit , nec ætatis nec dignitatis habebatur ratio , summaque imis erant permixta .

*Donec Honor , placidoque decens Reverentia  
vultu ,*

*Corpora legitimis imposuere toris .*

*Hinc sata Majestas , quæ mundum temperat  
omnem ,*

*Quaque die partu est edita , magna fuit .*

B

Et

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

Et paulo inferius.

*Affidet illa Jovi, Jovis est fidissima custos  
Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi,  
Venit & in terras, coluerunt Romulus illam  
Et Numa: mox alii tempore quisque suo.  
Illa patres in honore suo, matresque tuetur  
Illa Comes pueris virginibusque venit.  
Illa datos fasces commendat, eburque curule:  
Illa coronatis alta triumphat equis.*

Hoc loco Majestas est summa in subditos ac cives, legibus soluta potestas. Bodin. lib. 1. cap. 3. nam non potest esse summa potestas, nisi legibus soluta sit. Hac porro Majestas non solum principis alicujus esse potest, sed & optimatum, & populi, prout penes hos vel illos summa Reipublicæ est: veluti ab initio Romæ erat penes Reges, iis vero ejectis, populus illam vindicavit, sed tandem cum populus lege Regia omnem potestatem & imperium in Imperatores transluit, cœpit esse Majestas imperatoria seu principalis. Nihil etiam refert, an, qui Majestatem habent, late imperent, an imperium eorum sub angustis terminis contineatur: non enim immensis terrarum spatiis, sed vi imperii Majestatem metimur; nam quævis ex nostris provinciis, quam parva etiam sit, æque Majestate armata est, ac magnum illud Gallorum vel Britannorum Imperium.

Vulgata hic, sed multis disputationum ambagibus involuta occurrit quæstio: an Principes, superiorem recognoscentes, Majestatem habeant, & crimen Majestatis

statis in eos propriè committatur? quidam affirmant; quidam negant: negativa tamen probabilius videtur, veriorque sententia. Nam qui superiorem recognoscunt, non habent summam in cives ac subditos, legibusque solutam potestatem, & hanc non habentes, Majestate non armati sunt, ut ex superiore definitione colligi potest. Affirmantes vero objiciunt *l. quisquis. Cod. 5. ad leg. Jul. Majest. qui de nece virorum illustrium, qui consilio & consistorio Imperatoris intersunt, senatorum etiam vel cuiuslibet; postremo, qui imperatori militat.* Ergo multo magis hoc crimen committitur in principes inferiores, quia digniores & nobiliores esse videntur, quam senatores & consiliarii Cæsaris. Resp. quod hoc argumentum nihil movet: nam primo lex de iis nihil dicit, & nostrum non est leges extendere ad diversas personas & casus, præsertim in odiosis & poenalibus. Et hic adferri potest vulgatum illud: *quod lex non dicit, nec nos dicere debemus.* secundo is, qui de talium virorum nece cogitat, Imperatorem ipsum offendit (nam & ipsi, inquit, pars corporis nostri sunt: *d. l. quisq. 5.*) haec autem ratio locum non habet in aliis principibus, qui consistorio Imperatoris non intersunt, nec Imperatori militant, ii enim pars corporis dici nequeunt. *Andr. Fachin. contr. jur. lib. 9. cap. 32.* posset & objici quod Germaniæ Electores eam habeant, & Majestatis crimen in eos committi possit. Resp. quod hoc ipsis Carolus Quartus concessit in aurea Bullâ, quæ facta est anno Ærae Christianæ 1356. die 10. Januarii, vid. *Bruneman. ad Cod. in explicatione legis quisquis, & Christian. Mathiam in Theatro Historico.*

## III.

Vidimus quinam *Majestatem* habeant & aduersus quos hoc crimen committi possit; jam à quibus, excutiamus opus est. Primo crimen laesæ Majestatis committunt illi, qui supremæ alicujus potestati naturâ aut jure subjecti sunt naturâ; qui subditi nascuntur; jure; qui in civitatem recepti aut justo bello subacti sunt. Subditi hic latius sumuntur & comprehendunt etiam cives, sed alias à civibus distinguuntur, & tum per subditos intelligimus incolas, servos & provinciales; per cives, qui jus civitatis habent, aut nati ex utroque parente cive, aut juxta leges assumpti. Subditis etiam annumerantur incolæ, qui aliquâ regione *domicilium suum contulerunt*: quem Græci *παπούον id est*, *juxta habitantem, appellant, nec tantum hi qui in oppido morantur incolæ sunt: sed etiam qui in alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se, quasi in aliquam sedem recipiant.* l. 239. §. 2. de verb. sign. Hi enim eo ipso, quo *domicilium & sedem in aliquâ regione sibi constituunt*, etiam subjcere se imperio nec non *jurisdictioni magistratum ejus regionis intelliguntur.* Qui sensus est l. *incola* 29. ff. ad *municipal.* advenæ incolis non annumerantur, nisi quando sedem apud nos fixerunt & subditi sunt. Non solum mares sed & fœminæ hoc crimen committunt. arg. l. *quisquis* 5. Cod. b. t. nam verbum *quisquis* comprehendit tam masculos quam fœminas l. 1. de verb. sign. etiam in l. 3. ff. de bon. damn. quinque legibus dampata muliere dos publicatur: nempe Majestatis, vis publicæ, parricidii, beneficii, de sicariis.

Univer-

## IV.

Universitas vel Civitas Imperatori subdita incurrit in crimen læsæ Majestatis, si deliberatio & consilium commune præcesserit, formaque congregandi universitatem solita servata fuerit *per textum in leg. i. §. 1. ff. vers. quove cætus conventusve fiat.* vide etiam Harprecht. de publ. judic. quæritur hic etiam an vasalli possint Majestatem domini violare? ubi sic distinguendum est: alii sunt vasalli non subditi; alii vasalli & subditi: vasalli non subditi sunt qui à privato feudum acceperunt, aut à principe quidem, sed cuius subditi non sunt. Vasalli & subditi sunt qui non solum fidelitatem debent propter beneficium, sed & jurisdictioni illius subjecti sunt. Qui vasalli sunt & subditi in hoc crimen possunt incurrire, si dominus feudi habeat Majestatem, qui vero vasalli sunt non subditi, feloniam quidem committunt, non crimen læsæ Majestatis, et si princeps habeat Majestatem, à quo investiti sunt. *Ant. Math. de crimin. ad h. t.*

## V.

Egimus de personis adversus quas & à quibus admittatur crimen læsæ Majestatis, videamus jam species singulas & quibus modis admittatur. Crimen læsæ Majestatis in genere est fraudulenta machinatio subditi contra Majestatem, quæ quid adversus ejus dignitatem, securitatem ac summam potestatem, sive directè sive indirectè admittitur. *I. i. I. 6. ff. b. t.* est que duplex; vel crimen læsæ Majestatis in specie sic dictum, quod contra dignitatem atque existimationem

14 DISPUTATIO JURIDICA

principis vel Reipublicæ sit; vel crimen perduelionis, quod directò contra Principem vel Rempubl. ejusque securitatem ac potestatem, sumptis armis, initave factioне, vel aliter hostili animo admittitur. l. i.  
l. ult. b. t.

V I.

Qui falsam monetam cudunt rei sunt criminis læse Majestatis in specie sic diēti: nam Imperator Constantinus scribit ad Tertullum præfectum Urbis Africæ: *si quis nummos falsa fusione formaverit, universas ejus facultates fisco nostro præcipimus adjici; in monetis etenim tantummodo nostris cudendæ pecuniae studium frequentari volumus, cuius obnoxia Majestatis crimen committunt, l. 2. Cod. de falsis monet.* qui statuas aut imagines Imperatoris jam consecratas conflaverint, etiam lege Jul. Maj. tenentur. l. 6. ff. b. t. qui autem nondum consecratas conflat aut reprobatas, non tenetur. l. 4. §. ult. b. t. neque qui statuas Cæsaris vetustate corruptas reficit. l. 5. pr. b. t. nec licet eos qui ad sacrosanctas ecclesias con fugerunt, inde extrahere, & si quis contra faciat, in hoc crimen incidit. l. 2. Cod. de his qui ad eccles confug. nemini quoque privatos carceres habere licet, quin hujus criminis reus fieret, ex Const. Zenonis Imperat. l. 1. l. 2. Cod. de privat. carcer. inhib. nec ulli licuit uti purpurā aut Holofernicā veste, esse enim aliqua differentia debet inter principis & privatorum cultum, & si quis in hanc constitutionem impingat, ad similitudinem læse Majestatis periculum sustinebit. l. 4. Cod. de vest. aur. & holof. quam rarus fuerit apud

Romanos

Romanos Holoserici usus , quantaque ejus charitas docet Vopiscus in Aureliano his verbis: *vestem holosericam neque ipse*, nempe Aurelius, *in vestiariorum suo habuit neque alteri utendam permisit*, & cum ab eo *uxor sua peteret ut unico pallio blauo-serico uteatur*, ille respondit; *absit ut auro fila pensentur.*

## V I I.

Est inter Doctores quæstio an maledicta & convitia principi facta ad crimen læsa Majestatis pertineant? sub primis imperatoribus innocentes multi ad supplicium rapiabantur qualibet occasione contemptæ Majestatis , ideo Imperatores Arcadius & honorius constituerunt, ut convitia Principi dicta huic criminis non annumerarentur. Prohibent enim ne judices eos , qui maledictis Principem petunt , poenæ subjugent: nam si ex levitate profectum sit maledictum, contempnendum est; si ex insania, author ejus miseratione dignissimus: si ab injuriâ, remittendum seu condonandum est, nec lubricum linguae ad poenam facile trahendum. *I. un. Cod. si quis Imp. maled. l. 7. §. 3. ff. b. t.* sed quidam verbum *remittendum* ita interpretantur , ac si tota causa remittenda esset ad principem; hæc tamen verba videntur respuere hunc sensum, nam vocabulum *mittere* absolutè positum & sine personâ alicujus ad quem remittendum fit, nunquam in jure sumitur hoc sensu , sed condonare significat. *Brunumann. in Cod. ad tit. si quis Imp. & insuper quia regii semper fuit ac alti animi maledicta negligere*, tyrannicum autem severè castigare. Quando vero calumniosa verba interdum ad seditionem spectare.

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

spectare possunt & turbulentæ acclamations, quibus salus principis periclitatur. *I. 28. §. 3. ff. de pœnis*, tum tota causa referenda est principi cognituro an poena aliqua infligenda sit calumniatori *idem*. *Brunemann.* nec ille qui inconsultè per Imperatorem juraverit vel pejeraverit hujus criminis reus est : nam Imperator Alexander scribit Felici in *leg. 2. Cod. de reb. cred. & jurejur.* *Jurisjurandi religio satis Deum ultorem habet* : *periculum autem corporis, vel majestatis crimen secundum constituta Divorum Fratrum meorum, et si per principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet : etiam I. quicquid in calore 48. de reg. jur.*

## V I I I.

Crimen *perduellionis*, ut supra diximus, est quod directo contra principem ; vel Rempublicam ; ejusque securitatem ac potestatem, sumptis armis, initave factione vel aliter hostili animo admittitur. Quo tenetur *is*, *cujus opera dolo malo consilium initum erit, quo obsides injussu principis intercidenter.* *I. i. ff. b. t.* nam quemadmodum pertinet ad Majestatem, bellum indicere, finire, fœdus facere, dare pacem acceptis obsidibus ; ita & contra obsides dimittere, solius Majestatis erit. Cumque obsides pignus atque vinculum sunt ; quo totæ sæpe provinciæ atque nationes in fide continentur, perduellis erit qui eos injussu principis dimiserit. *Qui etiam consilium inierit dolo malo, quo homines armati cum telis lapidibusve in Urbe sint, convenienter adversus Rempubl., locave occupentur vel tempora, quove cœtus conventusve fiat, hominesve ad seditionem convocentur.* *I. i. §. i. b. t.* hæc omnia seditionis

ditionis verbo continentur , aut ad seditionem spe-  
stant , non quævis vero seditio est crimen perduellio-  
nis , sed illa , quæ concitatur ad turbationem & muta-  
tionem Provinciæ vel Reipubl. *Ægid. Boff. crimin.*  
*ad. b. t. n. 17.* neque omnes , qui huic tumultui sese  
misquere , perduelles sunt , sed authores tantum &  
principes seditionis. Ulpianus etiam in *d. l. i.* non  
dicit perduellem esse , qui cœtus pars fuerit , sed cu-  
jus operâ dolo malo cœtus conventusve contra Rem-  
publicam factus fuerit. Causam , cur multitudini par-  
cendum , reddit *Liv. lib. 28. cap. 27.* ubi Scipionem  
Africanum ad milites seditiosos loquentem introdu-  
cit : *multitudo omnis* , inquit , *sicut natura maris*  
*per se immobilis est* , ut venti & auræ cident , aut  
tranquilli , aut procellosi : *& causa in vobis atque*  
*origo omnis furoris penes autores est* , *vos contagio-*  
*ne insanistis.* Quin mihi ne hodie quidem scire vi-  
demini , quo amentiæ progressi sitis : quid facinoris  
in me , quid in patriam , parentesque ac liberos  
vestros , quid in Deos sacramenti testes , quid ad-  
versus auspicia , sub quibus militatis , quid ad-  
versus morem militiae disciplinamque majorum ,  
quid adversus summi imperii Majestatem austi si-  
tis. Et nunquam ad contumaciam pari consensu  
multitudo perrumpit , sed incitatur à paucis , qui vi-  
tiorum scelerumque impunitatem sperant , peccando  
cum plurimis.

## I X.

Is etiam in crimen perduellionis incurrit , *cujus*  
*operâ & consilio dolo malo constitutum initum erit* , *quo*

C

quis

## 18 DISPUTATIO JURIDICA

quis magistratus populi Romani , quive imperium potestatemve habet , occidatur . l. i. §. i. ff. b. t. ex his colligitur , quod si quis Duumvirum occiderit , perduellis non erit , nam Duumvir nec populi Romani magistratus est , nec imperium habet . l. 26. ff. ad municip. & l. un. ff. si quis jus dic. non obt. si quis itaque ex his personis violatur , temperamentum adhibendum est , privato an publico odio id factum fuerit : si ex privatis inimiciis id factum sit , minuisse quidem reus Majestatem videtur , non tamen perduellionem commisisse . Ant. Math. de crim. ad. b. t. Quove quis contra Rempubl. ferat arma l. i. §. i. ff. b. quid enim tam abominandum , quam patriæ hostem concitare , pro quā , si hostis ingruat , etiam sit ultro moriendum . Quive hostibus Pop. Rom. nuntium literasve miserit , signumque dederit , feceritve dolo malo quo hostes populi Romani consilio juventur d. l. i. non solum hunc sed etiam qui literas hostium , quibus consilia exitiosa continebantur recepit , nec indicium fecit : & generaliter quisquis secreta Reipubl. aut principis dolo malo hosti prodit , perduellionis reum fieri communis interpretum sententia est . Qui de Provinciā , cum ei successum esset , non deceperit nec exercitum successori tradidit . l. 2. l. 3. ff. b. t. id autem intelligendum esse , si post quinquagesimum diem elapsum non deceperit ; tot enim dies jubeatur manere in Provinciā , ut a provincialibus , coram successore repetundarum reus argui posset , nos docet l. unic. Cod. ut omnes judic. tam civil. Qui Imperium exercitumve populi Romani deseruit , vel privatus ad hostes perfugit l. 2. l.

2. l. 3. ff. b. t. hic non intelliguntur gregarii milites, sed qui cum imperio sunt, ut Imperatores eorumque legati, præfecti, tribuni &c. qui tenentur et si deseruerint tantum exercitum, non etiam ad hostes per fugerint. pertinet enim ad securitatem Reipubl. exercitum non esse absque duce. *Quive sciens falsum conscripserit, vel recitaverit in tabulis publicis.*  
 l. 2. ff. b. t. sed hoc videtur esse genus falsi, non perduellionis; nam *lex 16. §. ult. ff. ad. leg. Corn. de falsi.* dicit poenam legis Corneliae eum teneri, qui rationibus, tabulis, literis y publicis sine consignatione falsum fecerit, & ideo ejusmodi falsum intelligere debemus, quod ad grande detrimentum Republicæ tendit. *Egid. Boss. de crim. ad b. t. n. 31.*

*Qui injussu principis bellum gesserit, delectum-  
ve habuerit, eadem lege tenetur.* l. 3. ff. b. t. hic merito perduellis censetur, nam maximo inde Respublica detimento potest affici & magnæ inde oriri calamitates. non licuit olim bellum inferre, nisi ante jussu populi ritèque indictum esset. *Liv. lib. 1. cap. 32.* quare Cæfarem, quamvis feliciter, injussu tamen populi Rom. bellum gerentem, Cato hostibus dedendum censuit.

## X.

Incidit & in hoc crimen, cuius operâ dolo mali hostes populi Romani, commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliâve quâ re adjuti erant. l. 4. ff. b. qui pecuniam crediderit aut donaverit, sed non aliter, nisi sciens, aut hostili animo, id fecerit, nam si ab hostibus coactus solverit: puta ut direptionem supel-

le<sup>t</sup>tilis, incendia & agrorūm populationes redimeret, non est perduellis. quid vero de mercatoribus dicendum, qui non tam hostili animo, quam lucri faciendo causā, commeatum, arma, cæterasque ad bellum gerendum necessarias res hostibus advehunt? non dubitandum quin perduelles sint, nam licet in aliis causis distinguamus, quo animo id factum sit, nulla tamen hic distinctio admittitur in illis, quæ directe aperteque ad perniciem Reipubl. tendunt, cum etiam bonus civis ad id operam dare debet, ut Patriæ salutem (patria omnium parens est) propriò lucro & improbo, ut ita dicam fœnori præponat. & Cicer. in orat: pro. dom. §. 37. ei Patria cara est, cuius salutem caritati anteponat suorum. Sed cum J. C. etiam usus sit verbis aliâve quâ re, videamus an nihil intersit cuiusmodi res hostibus subiectæ sint? triplicem hic rerum distinctionem cum Ant. Math. faciemus. aliæ bello solo destinatæ sunt, ut arma, tela: aliæ tam bellorum quam pacis usui inserviunt, ut equi, naves, commeatus, pecunia. aliæ nullius in bello usus, tantumque ad voluptatem spectant, ut marmora, vestes pretiosæ, tabulæ pictæ & generaliter omnia ea, quæ sunt in deliciis. primi generis rēs qui hostibus subixerit, haud dubiè perduellis est. idem dicendum de illis, quæ in secundâ classē ponuntur: adjuvantur enim hostes subiectis illis, quarum æque in bello ac pace usus est, & præcipue si obsessis ejusmodi res submittantur, nam eo obsidionem diutius toleraturi, aut obsessoribus discedendi necessitatem imposituri sunt. Paulus etiam in l. 11. ff. de Publican. cotem ferro subigendo necessariam hostibus quoque venundari;

ut

*ut ferrum, & frumentum, & sales, non sine periculo  
capitis licet.* quod vero ad tertium genus attinet,  
non solum non poenâ, sed contra præmio digni vi-  
dentur, qui ejusmodi res hostibus summiserint; cum  
earum usu animi enerventur, & luxuriâ mollitieque ef-  
fæminentur. non autem hoc ad omnes ejusmodi res  
extendendum est: nam Imp. Valens & Gratianus in *L. I.*  
*Cod. quæ res export. non deb.* vetant vinum, oleum  
& liquamen, nec gustus nec usus commerciorum cau-  
ſa ad Barbaros exportari: ratiō est ne capti dulcedine  
istarum specierum, invadendi Orbis Romani consilia  
sumant; quemadmodum Longobardos in Italiā pel-  
lectos legimus ob fertilitatem soli. nam, ut Paulus  
Diaconus scribit lib. 8., audierant Longobardi in Pan-  
noniâ degentes, Italiā pomis dulcibus, carne suc-  
ci plenâ, vino odorato, pulchris foeminiis & pīcium  
varietate abundare.

## X I.

Cum leges fine poenis nec ullam vim nec effectum  
haberent, ac impunè eas transgredi quisque posset,  
cumque etiam Reipublicæ plurimum intersit crima  
non impunita relinqui, ideo legislatores pro eorum  
qualitate & gravitate poenas introduxeré, ut & in  
hoc atrocissimo crimine, atroces poenæ constitutæ  
sunt, de quibus jam ut agamus ordo & methodus  
postulat. Divisimus supra hoc crimen in crimen læsæ  
Majestatis in specie, & perduellionis: læsæ Majestatis in  
specie, non est tam gravis poena, quam perduellio-  
nis, utriusque tamen capitalis est. Prius poenam u-  
triusque fuisse exilium seu aquæ & ignis interdictio-

nem, postea vero humiliores bestiis objici, vel vi-  
vos exuri: honestiores capitè puniri Paulus JCtus.  
in sententiis testatum reliquit. Crimen læsæ Majestatis  
in specie morte extinguitur; perduellum vero  
memoria post mortem damnatur. *I. ult. ff. b. t.* nec  
liberi eorum immunes supplicii sunt. *I. 5. §. I. Cod. b. t.*  
Quid si reus ante sententiam defunctus sit? Nam  
qui naturæ satisfecit, etiam legibus satisfecisse vide-  
tur. ad quod Resp. ex lege 7. Cod. b. t. ubi Paulus  
dicit: *quod meminisse oporteat, si quid contra Ma-  
jestatem Imperatoris commissum dicatur, etiam post  
rei mortem id crimen instaurari solere, poste aquam*  
*Divus Marcus Drunciani, utpote senatoris,*  
*qui Cassiani furoris socius fuerat, bona post mor-  
tem fisco vindicari jussit.* Propinqui tamen & suc-  
cessores defuncti vocantur, ut innocentiam ejus de-  
fendant, si id non possint hæreditas fisco vindicatur.  
*I. ult. ff. b. t.* notandum hic obiter non tantum puniri  
eventum, sed etiam conatum si solummodo volue-  
rint & cogitaverint. Verum per voluntatem & co-  
gitationem, non nudam cogitationem intelligere de-  
bemus, hujus enim pænam nemo patitur. *I. I. §. ff.*  
*de pæn.* & actus voluntatis interiores legi humanæ  
non subjiciuntur, sed quam secuta est ipsius sceleris  
inchoatio aliqua: puta si quis venenum paraverit,  
tametsi non porrexerit principi, si quis scelestæ fa-  
ctioni sacramentum dederit, aut alios sacramento adi-  
gere curaverit. *Bachov. ad Treut. vol. 2. disp. 32. lit.*  
*H. & I. 225. de verb. sig.*

XII. Non

## X I I.

Non solum authores istius criminis , verum etiam consci*i* tenentur , si nec illud detulerint vel revelaverint. Modo con*s*pirationem talem commode probare potuissent. Siquidem nemo tenetur revelare quod probare non potest. *I. nostris t. in fin. Cod. de calum.* quâ verò poenâ affici debeant vehementer convertitur ? ubi distinguendum , an fuerint satellites & ministri , qui non modo delictum patratum sciverint , sed & operam & ministerium ad delictum committendum præbuerint ; hi in eandem poenam incurruunt , in quam rei principales. *I. quisquis 5. § 6. Cod. b. t.* simpliciter vero consci*i* qui in delicto perpetrato nihil coöperati sunt , nec sacramentum factioni dede- runt , non ordinariâ legis Juliæ Majestatis , sed extraordinariâ solum , pro arbitrio judicis , mitiori & ad summum relegationis poenâ plectendi sunt per text. expressum in *leg. 40. ff. de pæn.* ubi is , qui non prodit hostem , vel reum læsfæ Majestatis , in insulam relegatur. vid. etiam *Harprecht. ad hanc ma-* ter. ut & est sententia. *Ant. Math.* admittere quidem eum crimen , qui indicium scelestæ factionis non defert , non tamen poenâ perduellionis , sed mitius extra ordinem puniendum esse.

## X I I I.

Est dura sane & severa constitutio , quâ Imperato- res Arcadius & Honorius filios patrum criminis ex- pertes , poenis quoque subjiciunt. Filii vero , in- quiunt , quibus vitam Imperatoriâ lenitate concedi-  
mus

## 24 DISPUTATIO JURIDICA

mus (partero enim deberent perire suppicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuuntur) à maternâ vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes ac pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant. Sint postremo tales, ut his perpetuâ egestate fôrdentibus, sit & mors solatium & vita supplicium. *I. 5. §. 1. Cod. b. t.* sunt & plura exempla apud veteres, filios ob paterna delicta punitos fuisse, ut apud Danielem cap. 6. ubi Darius Rex eos, qui Danielem detulerant, una cum liberis leonibus objici jubet. Aliud habemus in Hannone Carthaginensi, qui ad dominationem occupandam, regnumque, imperfecto Senatu, invadendum, intendens, cum filiis cognatisque omnibus, etiam innoxiiis, supplicio traditur. *Justin. lib. 21. cap. 4.* quapropter Imperatores suam humanitatem & lenitatem commendant, dum vitam liberis concedant, qui paterno deberent perire suppicio; sed quæ hæc lenitas, ut sit mors solatium, vita supplicium? nulla etiam videatur ratio, cur filii patris scelere puniantur: adducunt quidam, quod Deus in Decalogo se vindicaturum dicit peccata parentum in tertiat & quartat progenie. Verum hoc non ita intelligi debet, nam liberi non puniuntur propter peccata parentum, cum ipsis nihil deliquerint, sed tum demum, cum ipsis eadem scelerum grassentur viâ. *Calvin. inst. lib. 2. cap. 8.* & Deus quidem expressè prohibet: nam dicit: *anima, quæ peccat, ipsa morietur; filius non feret propter iniquitatem*

tatem patris, pater non feret propter iniquitatem filii, Justitia justi cum ipso erit & improbitas improbi cum ipso erit. Ezech. 18. vers. 20. ut & Deuteron. 24. vers. 16. quisque propter peccatum suum morte afficiatur. Probatur etiam & commendatur factum Regis Judæ parcentis liberis noxiorum. 2 Reg. 14. unde appareret hanc poenam in liberos jure divino esse prohibitam. Budæus in annot. ad pand. hanc poenam abrogatam esse per. leg. Sancimus. 22. Cod. de pen. verum adjicit quod id fecisset magis inductus religione judicandi, quam persuadendi fiducia, & non est verisimile quod Imperatores autores utriusque legis tam inconstantes fuerint, ut constitutionem modo latam illico mutarent. Insuper in dicta. l. 22. nulla sit mentio filiorum, sed tantum aliorum propinquorum, notorum, affinium & familiarium; quicquid enim novâ lege expressum non est, id veterum legum constitutionumque regulis relictum intelligi debet. l. precipimus 32. §. ult. Cod. de appellat. ac posteriores eatenus derogant prioribus, hisque potiores sunt, quatenus ipsis omnino sint contrariæ, alioqui posteriores ad priores pertinent. l. 26. 27. 28. ff. de leg. denique hanc legem non esse derogatam colligi potest ex. l. 10. Cod. de bon. prosçr. quæ est promulgata pluribus annis post. d. l. Sancim. 22. in quâ, nempe de bon. prosçr. bona damnatorum liberis relinquit, excepto Majestatis criminis, cuius atrocitas nihil relinquit hæredibus; ex his igitur appareret liberos perduellum etiam post leg. sancimus, punitos fuisse ob paternum delictum, sed quonam modo jam hujus legis duritiem excusabimus. Quæ bonis principibus

D fortassis

## 26 DISPUTATIO JURIDICA

fortassis indigna videbitur, quam quod dicamus Imperatores hoc in bonum finem & Reipubl. commodum constituisse eā mente, primo ut parentes propter amorem & charitatem in liberos, ab eo crimine absterreantur & amiciores Reipubl. reddantur de qua Cicer. in quādam epistola ad Brutum: *non me fugit.* inquit, *quam sit acerbum, parentum scelera, filiorum pænis lui.* Sed tamen judicat præclare legibus comparatum esse, ut *charitas liberorum amiciores parentes Reipubl. redderet,* secundo quo in filiis etiam paterni, id est hæreditarii criminis exempla metuantur. d. l. quisq. 5. §. 1. hinc Tertullianus Poëta.

*Auctores scelerum, facinus ne cresceret  
ultra,  
Extinxit sobolemque patrum peccata sequen-  
tem.*

Tertio quod pater credi potest cum liberis consilia communicasse. Quarto quia præsumuntur liberi ultores futuri & vindices necis paternæ.

## X I V.

Vidimus duram illam poenam in filios constitutam. exutiamus nunc quinam sub filiorum appellatione contineantur. Primo quæritur *de emancipatis*, ubi distinguendum, si sint emancipati ante commissum crimen, non continentur. quod confirmatur ex sensu: §. *emancipationes* 4. l. 5. Cod. b. t. Emancipationes liberorum, & dotes & donationes, scelere jam admisso, factæ non valent, quia in fraudem fisci factæ

et ex videntur : & ex eo sequitur emancipationes antea factas valere : ergo ad emancipatos ante commissum crimen poena non pertinet. Secunda quæst. est de *adoptivis* ; hi non videntur contineri in præsenti constitutione filiorum appellatione ; nam in iis cessat ratio ab Imperatoribus supra adducta , quod sint in liberis metuenda exempla paterni criminis , nec derivantur in adoptivos. *vid. Ant. Math. ad h. t.* tertio quæritur de *naturalibus*. quidam affirmant ; quidam negant , sed negantium magis arridet opinio : nam constitutio loquitur tantum de filiis ; filii autem non sunt nisi ex justis nuptiis procreati. *I. 5. ff. de in-*  
*Jus voc. mater semper certa est licet vulgo conce-*  
*perit , pater vero is est , quem nuptiæ demonstrant*  
& §. 12. *inst. de nupt.* insuper constitutio avita bona & omnium proximorum hæreditates aufert filiis damnati , non ergo lex loquitur de naturalibus , nam naturales nihil capiunt ex hæreditate patris ejusve agnatorum. *I. 2. I. 4. I. 8. ff. und. cogn.* Sed matri tantum ejusque cognatis succedunt. Imperatores etiam solliciti erant de iis qui dignitate & divitiis conspicui parentis necem ulcisci possent : naturales autem dignitate ac opibus destituti nihil possunt. Postremo illa charitas , quæ plerumque parentes liberos suos complectuntur , hic cessat propter libidinis conscientiam & luxuriæ pudorem , quæ faciunt ut naturales liberos aversetur pater. naturalis vero qui legitimatus est , quoniam æquiperatur nato ex legitimis nuptiis , & dignitatis paternæ atque divitiarum particeps est , ad constitutionem hanc pertinere videtur.

Filiī tam ante , quam post crimen nati , huic legi

## 28 DISPUTATIO JURIDICA

subjiciuntur, cui obj. quod natis liberis ante dignitatem à patre quæsitam, illa dignitas non prospicit. *l. 11.*  
*Cod. de dign.* ergo nec poena iisdem obesse debet. ad quod resp nullam hanc esse consequentiam: poena enim in Judicio perduellionis liberos manet pecularibus de causis, nempe quod, ut superius diximus, in iis metuenda sint exempla paterni criminis & quod poena liberorum amiciores redditura sit parentes Reipubl. opp. filius natus antequam pater senatu moveretur, aut ob ingratitudinem in servitutem revocaretur, nullum patitur dignitatis præjudicium. *l. emancipat.* *7. l. filiam.* *l. 9. ff. de Senator.* ergo nec filius natus ante commissum crimen perduellionis. resp. quod consequentia sit vitiosa: cum enim constitutio de crimine perduellionis plectendo in liberis perduellium, contra rationem juris sit facta, non potest ea ad communes juris rationes expendi atque exigi.

Nepotes non continentur hic sub appellatione filiorum, quia est in materia poenali & odiosa, & odia non sunt amplianda, sed restringenda. etiam communis interpretum sententiā hæc constitutio, quantum fieri potest restringenda. & interpretatio mollienda est ob id quod acerbior sit & à naturali æquitate recedat. Opp. quidem *l. 84. de verb. sig. filii appellatione omnes liberos intelligimus ut ē in l. 201. 220. s. ult. ejusd. tit.* sed resp. quod justa interpretatione placuerit, ut in multis causis filiorum appellatione nepotes comprehendantur *d. l. 201.* sed nulla hic necessitas urget vel invitat utilitas ut hic filiorum appellationem ad nepotes extendamus. *vid. Wissenb. disp. 34. th. 10.*

Filiæ

Filiæ etiam , licet non tam gravi quam filii , pœna tamen aliquâ afficiuntur : nam Falcidiam tantum ex bonis maternis , sive testata sive intestata deceserit , capere possunt , ut habeant mediocrem potius filiæ alimoniam ; quam integrum emolumenntum ac nomen hæredis . ratio est , quia mitior debet esse sententia circa eas , quæ propter sexus infirmitatem minus ausuræ esse credantur *I. quisqu. §. 3.* asserit etiam Ant. Math. infamiam ad eas non pertinere , quia nulla mentio ejusdem in præsenti constitutione fit .

Quamquam rarius hoc delictum à foeminis admittatur , &c , ut diximus , minus ausuræ credantur , si tamen foemina quid tale animo masculino moliatur , ipsa filiique ejus prædictis pœnis subjiciuntur arg. *I. toties allegatæ quisquis.* verbum autem *quisquis* tam masculos , quam foeminas complecti certo certius est . *I. i. de verb. sign.* etiam sexum masculinum foemininum continere dilucide Julianus respondet ; in *I. qui duos. 62. ff. de leg. 3.*

## X V.

Sequitur nunc ut excutiamus , quinam hoc jus accusandi habeant & testes esse possint propter enormitatem atque immanitatem criminis & quia id detegi publicè interest , jus accusandi hic habent , qui alias prohibentur & non idonei sunt ; ut infames , milites , servi , & mulieres , nam conjurationem Serg. Catilinæ Julia mulier detexit , & Marcum Tullium Consulem indicium ejus instruxit *I. famosi 7. & seq. ff. b. t.* qui autem accusant , si accusatos manifestis indicis non convicerint , & hi quorum consilio &

instinctu accusatio instituta est ; non minus quam ipsi rei , cognoscendæ veritatis causæ , torquendi sunt , in eaque re nulla dignitatis vel privilegii habetur ratio , sed omnibus æqua conditio est . *l. 3. & 4. Cod. h. t.* contendunt quidam , posse hujus criminis reum absentem damnare , sed hoc falsum viderur , nam *lex suffide pœn. & l. 1. ff. de requirend. vel absent. damn.* generaliter loquuntur absentem non esse damnandum , & si sepius admoniti per contumaciam desint , usque ad relegationem posse procedi , verum si quid gravius irrogandum esset , putâ metalli vel capitîs pœna , non posse absentes damnari . nec ullo loco excipitur crimen læsæ majestatis .

## XV I.

Quod ad testes attinet , multi sunt , qui dicunt testes non idoneos & inhabiles adhiberi posse in hoc crimine , inimico tamen excepto . Sed horum sententiam rejiciendam puto , nullâ enim lege scriptum est perduellionem per testes inhabiles probari posse . Et generaliter traditum est , in capitalibus causis idoneos testes , apertissima documenta & indicia ad probacionem indubitata ac luce clariora desiderari . *l. ult. Cod. de probat.* verum ajunt arg . *l. 7. ff. h. t.* quod famosi & alii quibus testimonii dictio non est , hoc in casu accusare possint , & idcirco testes existere . Non possum tamen videre quod inde sequatur , hos testes audiendos esse . Non enim ut in testis fide atque manu salus rei est , ita etiam in manu accusatoris ; nam quanto detestabilius est exēteris læsæ Majestatis crimen ejusque pœna acerbior , tanto magis idoneis ac fide

fide dignis testibus & documentis opus est. nec placet opinio existimantium , unicum testem in hoc judicio indicium ad torturam facere & initium à tormentis fieri posse , quamvis nullis præcedentibus indicis. Quod ad primum , constat unicum testem audiendum non esse *ex l. 9. §. 1. Cod. d. test.* ubi Imper. Constantinus ad Julianum præsidem scribit : *sauximus , ut unius testimonium nemo judicum in quacunque causâ facile patiatur admitti. Et nunc manifeste sancimus ut unius omnino testis responsio non audiatur , etiam si præclaræ curiæ honore præfulgeat.* Et in specie ad indicium unius testis reum torquendum non esse , patet *ex l. 20. ff. de quæst.* nec ulla lege probari potest diversum constitutum esse in lege Juliæ Majestatis. Quod ad alterum , non oportet iudices ad investigationem veritatis à tormentis initium sumere , sed argumentis primum verisimilibus probabilibusque uti : & si his , veluti certis indicis , ducti , investigandæ veritatis gratiâ ad tormenta putaverint esse veniendum , tunc id demum facere debebunt , si personarum conditio patiatur. *l. 8. §. 1. Cod. de quæst.* insuper prius debet constare delictum esse commissum , antequam ad inquirendum possit perveniri. *l. 1. §. item illud. 24. ff. de SCto Silani & l. 1. Cod. ubi cauf. fisc.*

## X V I I .

Cum in omnibus judiciis cause cognitio debeat adesse & nemo possit condemnari , nisi illa præcesserit , videamus penes quem hujus criminis cognitio sit. Quidam volunt esse solius Principis , aut cui princeps nomi-

## 32 DISPUTATIO JURIDICA

nominatim eam delegayerit. cum enim ipsa Majestas principis sit, consequens est solum principem de l*ex* sa Majestate cognoscere. Sed contrarium videtur in l. 1. ff. de off. prae*f.* Urb. ubi Ulpianus dicit quod omnia omnino crimina prae*f*ectura Urbis sibi vindicabit, ex quibus concludendum, si omnia, ergo & crimen Majestatis, ideoque fortasse *Constitutio* 3. & 4. Cod. b. t. ad prae*f*ectum Urbis emissae sunt. *Math.* ad b. t. exempla etiam possent afferri non principem hujus cognitionem habuisse: nam apud Tacitum *Ann. lib. 2 cap. 28.* *Fulcinius* *Trio accusatus* *Libonem* *Drusum* Majestatis, non *Tiberium* *Principem*, sed *consules adiut*, *Senatusque cognitionem poscit*, & vocantur patres, addito, ad consultandum super re magna atque atroci. & idem *Ann. lib. 3. cap. 10.* idem *Trio accusatus* *Pisonem*, apud *consules* eum postulavit, petitumque a principe ut ipse cognitionem exciperet, sed *princeps* integrum causam ad *Senatum* remisit.

## X V I I.

Antequam huic exercitationi finem imponam, Questionem illam, an perduellis ejusve filius prae*s*criptione tutus sit, breviter excutere placuit, quidam affirmant, quidam negant. negantes argumentantur ex l. 19. §. 1. ff. ad leg. *Corn. de fals.* & l. ult ff. ad leg. *Imp. de parr.* ubi accusatio suppositi partus & eorum, qui parricidii poenâ teneri possunt, semper permititur, nulla temporis prae*s*criptione repelitur, ergo quanto minus tempore perimetur accusatio perduellionis, cum longe gravius sit occidere patrem


trem Patriæ , quam suum . Hæc licet probabilia quidem videantur , non tamen evincunt crimen hoc excipiendum à regulâ illâ generali : omnè enim crimen quod nominatim non exceptum est , perimitur viginti annorum præscriptione . *l. 12. Cod. ad leg. Corn. de fals. l. 3. ff. de req. vel abs. damn.* & nulla lege nominatim excipitur crimen læsæ Majestatis : ergo sub regulâ relinquatur necesse est . Quod autem attinet ad prius objectas leges , velut accusationem suppositi partus nulla temporis præscriptione depelli , id ita intelligendum esse nos docet . *Ant. Math. ad h. t. nempe nullâ brevioris temporis præscriptione.* respicit enim JCtus ad quinquennii præscriptionem , quâ adulterii accusatio depellitur , videturque hoc voluisse dicere : si mulier adulterium commiserit & partum supposuerit , quamvis adulterii accusatio quinquennio perimitur , non tamen suppositi partus , ea enim durat longissimum in criminalibus tempus , puta annorum viginti , ut etiam quod dicitur *in obj. l. parricidii* accusationem semper permitti , ita accipendum est , ut referatur ad quinquennium , quo perimitur accusatio Senatus consulti silianiani ; videturque Jurisconsultus respondisse ita . Quamquam accusatio SCti sileniani finitur quinquennio , eorum tamen qui parricidii poenâ teneri possunt , semper accusatio permittitur . *semper* , id est , intra annos viginti .

Audivistis jam quid sit Majestas, unde derivetur, ac quomodo veteres illam Deam crediderint. vidi-  
stis quinam habeant eam, adversus quos & à qui-  
bus crimen læse Majestatis committatur. intellexistis

## E species

34. DISPUTATIO JURIDICA INAUG.

species singulas, quomodo dividatur, ac quibus modis admittatur, cognovisti duram pœnam, quæ propter atrocitatem criminis in reos constituta est; accepisti quinam hic possint accusare, testes existere, ac penes quem cognitio sit: in præfatione denique perspexit, à quibus primo & deinde successu temporis hæc lex lata sit, nihil ergo restat, benevoli lectors, quam quod vos precor ut in judicando æqui sitis ac cogitetis, nihil hic dictum esse, quod non dictum sit prius.



E

C O.



## COROLLARIA.

Item alii clausi sunt in unius rei utile

I.

Amplius

Duo eandem rem singuli in solidum  
possidere nequeunt.

Alioquin non inveniuntur nisi in ea

II.

Maris usus jure gentium liber est.

III.

Vendor non tenetur praecepsè tradere rem  
venditam.

IV. Jure

Typographi, etc. loc. sc.

I V.

Jure gentium vetitum est veneno quem-  
quam interimere.

C O R O L A R I A

Actus extraneus in testamento celebrari  
nequit.

V I.

Reus absens condemnari non potest.

II

F I N I S.

III

Nisi credamur iuris processu non tollimus

VI.